



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 121. Joannis III. Lusitaniæ Regis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

inferi præcepit, vi cuius Episcopis æque, ac Parochis injunctum, ut in sui Beneficii Ecclesiis assidue præsententur, ac ipsimet commisso gregi suo verbum Dei annuntiarent, sibi que Vicarios ad digne obeunda ministeria idoneos seligerent. Inducebatur etiam pœna, qua hujus edicti transgressores temporali jurisdictione, ac beneficiorum redditibus spoliarentur. Similem etiam legem condebat olim Ludovicus XI. in Castro Plessiaci prope Turones Anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto die octava Januarii: insuper in quavis Diœcesi nonnulli constituebantur quæstores, qui ex beneficiorum redditibus decimas colligerent, quæ pro more ad ærarium Regium deferebantur.

§. CXXI.

Joannis III. Lusitanicæ Regis obitus.

Hoc item anno die secunda Junii Joannes III. Lusitanicæ Rex Ulyssipone apoplexia tactus decessit, postquam quinquagesimum quintum ætatis suæ annum, regni vero trigesimum sextum expleverat. Hic Princeps multis dignitati suæ congruis virtutibus erat præditus, ac insuper, cum ceteri Christiani Reges sese mutuis bellis conficerent, ipse cum omni-

Sæc. XVI.
A.C. 1557.

Franc. Andrad. in vit. Joann. III. Damian. & Goetz in comm. Nonius in Geneal. t. 2. Script. Hisp.

Sæcul. XVI
A. C. 1557.

omnibus pacem colebat, & regnum Dei per Asiam, & Africam diligenter propagabat, Fidei magis, quam familiæ suæ augendæ studiosus.

Successerat is Patri suo Emanueli Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo: Hic idem Joannes, cum conversionem Idololatrarum, qui regiones recens detectas incolebant, summo studio urgeret, Paulum III. suppliciter adiit, petens, ut sibi quosdam ex D. Ignatii Sociis submitteret. Annuit Pontifex lubenti animo, ipsumque S. Franciscum Xaverium ad hanc expeditionem Apostolicam destinavit. Ceterum Joannes Rex successorem habuit Sebastianum ex Joanne ejus Filio, & Joanna Caroli V. Cæsaris filia progenitum; cum autem literatos Viros summo in honore haberet, hinc plures etiam Universitates erigebat: in conjugem vero Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto Catharinam ducebat, copiosa prole fœcundam, ejus tamen liberi omnes Patre adhuc vita superstite vivis erepti fuere. Procreabat etiam Filium spurium nomine Eduardum, qui ad Bracarensem Archiepiscopatum evehctus & Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio non nisi tum viginti duos annos natus fati functus est. Referunt de eo Scriptores, quod
in

in tenera ætate Philosophiæ, ac Theolo-
giæ scientia clarus rerum Lusitanicarum
historiam conscripserit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1557.

§. CXXII.

*Epistola Pontificis ad novum Lusita-
niæ Regem, ejusque Avum.*

Postea Summus Pontifex, quamprimum Lusitanicæ Regem decessisse, ac Sebastianum ejus Nepotem in Successorem fuisse electum intellexerat, quantocius ad juvenem hunc Principem sequentes has literas perscripsit: *Charissime in Christo fili noster &c. Avi tui claræ memoriæ Joannis Regis Portugaliæ obitus, de quo nos certiores fecisti, maximo nos dolore affecit: amisit enim Christiana Respublica Regem, & maxima virtute præditum, & de se, ac sancta Religione optime meritum: sed quia divinæ voluntati acquiescere debemus, nostræ, & tuæ partes sunt, pro ipsius anima Deum orare, ut eam in loco pacis, & gloriæ ad animas inclytæ memoriæ Prædecessorum ejus optimorum, piissimorumque Principum aggregare dignetur, quod illi quidem propter vitam tam pie actam contigisse sperare debemus; Quod polliceris, non te solum in Regno successurum Avo tuo, verum etiam hæredem fore ipsius fidei, obsequii, & pietatis erga Sanctam hanc Sedem, a qua te omnia bona consecuturum esse*

Paul. IV. lib.
Brev. sign. n.
2889. pag. 88
apud Ray-
nald. hoc ann.
n. 51.